

Christi meritum, nempe quòd Filius DEI, λόγος ille æterni patris, passione & morte, imò totâ suâ obedientiâ, atq; ita agendo & patièdo pro TOTIUS MUNDE peccatis sufficiens λύτρον persolverit, & sic iustitiæ divinæ & inde fluenti iræ adversus peccata ex asse satisfecerit.

λύτρον
Christi
univer-
sale.

28. Λύτρον & meritum hoc universale esse, liquidò constat ex hisce Sacræ scripturæ locis. Esai. 53. v. 6: *OMNES nos quasi oves erravimus: unusquisq; in viam suam declinavit, & posuit DEUS in eo iniquitatẽ OMNIUM nostrum.* Johan. 1. v. 29: *Ecce agnus DEI, qui tollit peccata MUNDI.* Rom. 5. v. 18: *Sicut per unius hominis delictum reatus venit in omnes homines ad condemnationem: ita per unius justitiam gratia redundavit in OMNES HOMINES ad justificationem vitæ.* Rom. 8. v. 32: *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis OMNIBUS tradidit illum.* 2. Cor. 5. v. 15: *Christus pro OMNIBUS mortuus est.* Item v. 19: *DEUS erat in Christo, MUNDUM reconcilians sibi.* Coloss. 1. v. 20: *Complacuit per Christum reconciliari OMNIA in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.* 1. Timoth. 2. v. 5: *Unus mediator DEI & hominum, homo Jesus Christus, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro OMNIBUS.* Ibidem cap. 4. v. 10: *Christus est Salvator OMNIUM.* 1. Joh. 2. v. 2: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; NON PRO NOSTRIS AUTEM TANTUM, SED ETIAM PRO TOTIUS MUNDI.* Atq; inde de CHRISTO passim dicitur, quòd sit *Salvator mundi*, Luc. 2. v. 11. Joh. 4. v. 42. 1. Ioh. 4. v. 14.

29. Et alibi Sacra scriptura expressè docet, quòd CHRISTUS etiam pro delictis satisfecerit illorum, qui propriâ culpâ pereunt. Nam Rom. 14. v. 16; inquit Apostolus: *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus*

mortuus